



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

LXXVII. Clancularios Concionatores ex Rep. Christiana esse
exterminandos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

convenienter
vivere.
Exempla
frugal. 5.
Tusc. disp.

doctrinam rubentes buccas tumentiaq; ora proferre, &c.
Idem Epist. ad Furiam: Nihil sic inflamat corpora,
& titillat membra genitalia sicut indigestus cibus ru-
tusq; convulsus.

V. à facil. Senec. ad Lucil. Epist. 21. Venter prae-
pta non audit, pascit, appellat: non est tamen molestus
creditor, parvò dimittitur, modo des illi quod debes, non
quod potes. Menander, ἡ κοιλία καὶ πολλὰ χερσὶ καὶ
ὀλίγα, Venter & multa capit, & pauca.

VI. à tuto, quod frugali non sit metuenda ego-
stas.

In EPILOGO hortaberis Auditores, ut in hac vir-
tute se exercent, vitia contraria devitent.

LXXVII. CLANCVLARIOS CON-
cionatores ex Rep. Christiana esse
exterminandos.

Sacro sanctam Christi Ecclesiam, Auditores be-
nevoli, nunquam cessat, ab initio incipiens, ju-
ratissimus ille humani generis hostis ad ruinam om-
ni conamine impellere, & quidquid habet virtutis
potentiae, infidiarum, virulentiae contra eam ef-
fundere: atq; sicut hoc ipsū in sancta illa Sion, ad-
huc lactente, ac in cunis vagiente, potissimum per
Ethnicos, & à religione nostra alienos homines
est molitus; ita hac temporū faece, jam senescente
& ad finem properate mundo, idem multo validi-
us agit per domesticos, ideoq; pestilentiores illius
inimicos, hæreticos. Posteaquā enim furiosus hic
humani generis persecutor animadvertit, numerū
Christianorum inter saevas Rom. Principum per-
secutiones non secus augeri Martyriis, atq; vinearum
ad uberratem provocantur putatione: Remp.
Christianam vix ex atrocissimis persecutionum
vulneribus paulisper respirantē, novis insidiis op-
primere, vexare, atq; adeò inaudito quodam ge-
nere feritatis extinguere conatus est: novā vetera-
tor

rator ille magnus excogitavit fraudem, Psycho-tyrannos ac mendaciorum magistros catervatim produxit, eorumque ministerio bona semina, ad æternæ vitæ fructus à Christo jacta, vel ex mentibus humanis eruere ac dissipare, vel contrariis seminibus occulte dispersis adulterare, & sic tandē genus humanum in sempiternæ miseræ regionem præcipitare tentavit.

Nam licet ordinata acies castrorum Christi adversus omnes hostiles acies, insuperabilis atque invicta consistat, neque ullam, sive humanam, sive diabolicam vim sub omnipotentis Imperatoris præsidio pertimescat; non tamen Satanas sibi unquam deest, circuit, quærit, observat, insidiatur; nullam nocendi elabi sinit opportunitatem. Non potest ille Dei exercitum profligare, conatur tamen; non funder unquam Christi copias, nec delebit; at confundere & perturbare novis strategematum formis, & libris, & sermonibus hæreticorum nunquam intermittit.

Cum igitur præceptoris mei voluntate hanc dicendi provinciam sim ingressus, & inter omnes Ecclesiæ persecutiones nulla atrocior, nulla sit gravior, quàm hæreticorum, certū deliberatumque mihi est, quàm cum luculenta Divinæ Majestatis injuria, quantaque cum animarum & salutis æternæ jactura sit conjunctum, eorum clancularios conventus, & furtivas conciones non omnibus modis præpedire, nervosis, & ex intimis rerum penentralibus eductis rationibus demonstrare. Et si enim, ut adferam aliquid vestra expectatione dignum, Aud. hum. ut nobilissimos huius juventutis animos expleam, ut respondeam tam celeberrimæ Academiæ nomini atque famæ, quæ totum jam diu terrarum Orbem peragravit, vix ab hac tenuitate requirendum est: tamen frequens hic vester conspectus, hæc summa alacritas vultu & aspectu

& aspectu significata, pellit omnem metum animo, cumq; mirandum in modū recreat atq; confirmat. Cū igitur vos ad attentē auscultandum satis vestrapte sponte paratos esse confidam; tamē magis consuetudine, quā quod ita necessarium iudicem, à vobis summopere contendo, Aud. ut istam ipsam alacritatem animorum, quam concurrendo declarastis, mihi in hoc sanctissimo Philosophiæ sacrario, in his ipsis delicatis Musarum sedibus, de re ad summam Reip. Christianæ atque ad omnem nostram vitam salutemq; spectante verba facienti præbeatis, hanc attentionem tantam; hoc silentium vestra moderatione dignum, ad extremam orationem conseruetis.

In tam ubere autem & copiosa rerum, quæ se ad dicendum offerunt, segere, commodè mihi videtur initium ducere à prudentissimo, licet naturali tantum lumine irradiati, religiosissimi tamen secundi Regis Rom. Numæ Pompilii factō, quo ad continendam in nova Rep. multitudinem indomitam atque infrenem, efficacissimam rationem esse existimavit, si primū Deorum metum omnibus quā maximum injiceret, cumq; is non facile descensus in hominum animos videretur; simulavit sibi cum Dea Ægeria congressus nocturnos, cujus admonitu quæ acceptissima Diis essent sacra constitueret.

Prudentissimum verò & tanto Rege dignum commentum, quòd ostendit quid sit in primis ad stabiliendam pacandamq; Remp. comparandum, quantoque sit opere elaborandum iis rerum moderatoribus, qui Deum verum fide illuminati nōrunt, ut in Repub. de vera Religione, qua sincerissimè colatur Deus, prima semper cura suscipiatur, ea vigeat & floreat sola, falsis omnibus & adulterinis explosis. Quod cū vel longè melius intelligant nostræ Religionis signiferi atq; duces,
et si

et si in persecutionibus omnibus contra portas in-
 ferorum rem fortiter gererent, & omnes procel-
 las impendentes pro viribus circumspicerent, ca-
 verent, propulsarent: bello tamen fidei ingruen-
 te, omnia sibi facienda, omnes adhibendas machi-
 nas, nihil intentatum relinquendum esse puta-
 bant. Alios hostes ut ab Ecclesie finibus submo-
 verent, nemo de statione sua discedebat, nemo
 custodiam gregis sibi concrediti desererebat: no-
 vam & adulterinam religionem ut propulsarent,
 universas Ecclesie vires quasi robustiss. exerci-
 tum colligebant, tanquam communi classico evo-
 cati omnes una ad resistendum occurrebant, &
 relictis gregibus, & sedibus, ignotas ac longè po-
 sitas regiones non sine magno & sumptu & vitæ
 periculo adire non dubitabant. Neque verò Epi-
 scopi solum in Conciliis congregati, divino præ-
 sidio circumsepti, vallati, atque muniti quasi in-
 structa acie adversus hæreticorum phalanges
 omni armaturæ genere hostiliter insurgentes at-
 que frementes, depugnabant; sed & ante Episco-
 pos cæteros summi ipsi Pontifices ex celsissima
 specula atque arce Religionis primi signum da-
 bant, primi fulmina anathematum in adversarios
 jaculabantur, & post Episcopos Imp. edictis, le-
 gibus, multis pœnæ in eos sæviebant: una autem
 omnium ordinum & nationum DD. & litteris &
 sermonibus tanquam ad commune restringen-
 dum incendium accurrebant. Prudenter admo-
 dum flammam Reipub. Christianæ sceleratam at-
 que atrocem restringebant, dnm adhuc velata
 cineribus ac sopita, facultas restringendi levissi-
 mè daretur, ne si omnia comprehendisset, frustra
 postmodum furibundam atque exultantem re-
 stringere exoptassent. Probè enim strenui illi
 veritatis athletæ intelligebant, hæresin simulat-
 que unum aliquod Ecclesie membrum corrumpit,

continuò sensim atque occultè in reliqua mem-
 bra inserpere , & instar atrocissimi veneni per
 omne corpus Ecclesiæ dimanare. An non una in
 Alexandria scintilla fuit *Arius*? At quia non sta-
 tim oppressa est , totum Orbem terrarum ejus
 flamma depopulata est. Siquidem cum Alexandria
 & Ægypti finibus ad omnium gentium perniciem
 erupisset, non solum per innumeras Asiæ Provin-
 cias manavit; sed mare etiam superavit, & obscure
 serpens, cum bonam Europæ partem occupavisset;
 usque in Hispaniam extremam penetravit: ab
 Austro exortum illud incendium, cum Solis Ori-
 entis partes, Aquilonisque complevisset, usque in
 ultimas Occidentis Solis oras non longissimo spa-
 cio temporis pervenit, & quascunque terras at-
 tigit, ita crudeliter atrocissimas flammæ evomens,
 in iis grassatum est, ut miserrimam Christianæ
 pietati intulerit vastitatem. Nostræ verò cladis
 nonne in *Luthero*, (a quo primum nostro hoc in-
 felici seculo fax est, in Ecclesia discordiarum ac-
 censa) nonne inquam in immani ista bellua per-
 parva initia fuerunt? Colucebat in iis primum ve-
 lut exigua quædam erroris scintilla, quæ si ut con-
 specta est, mox compressa fuisset, non has, quas
 eheu videre cogimur, Ecclesiæ ruinas videremus.
 Sed cum ille maledicti Cham conceptus animo
 calor, ille pestilentissimus hæreseos ignis sensim
 paucorum in pectoribus aleretur, & paulatim vi-
 res colligens, viciniora quæque corripere, con-
 tinuò etiam ad distitos; velut ardentes flamma-
 rum globos evomit, continuò spargi ignes mi-
 scerique incendia longè lateque cœperunt. Ma-
 num enim ista Germaniæ prima furia compara-
 vit, diversam quidem genere hæresios, sed magni-
 tudinæ sceleris vitæque similitudine pæne ean-
 dem, quam ambitiosam & desiderio prædæ Ec-
 clesiasticæ mirabiliter flagrantem illecebræ sibi
 facil-

facillimè conciliauerunt. Consilia nefarii facinoris in amplissimi Ducis N. aula decoquebantur, ad eam greges confluebant perditorum hominum, Apostatarum cœtus, nobilitati non solum magnitudine & summa æris alieni, verùm etiam consuetudine ac studio turpissimarum rerum, nulla denique portenta Imperii, nullæ finitimarum Regionum pestes repertæ sunt, quæ non repente in aream istam nefariæ atq; flagitiosæ conjurationis devolârint: quorum omnium consilia eò spectarunt, ut Ecclesiæ bona diriperent, Romam inflammarent, Ecclesiasticum Senatum contunderent eosque, qui præsidium Pontifici ferre voluissent, contrucidarent. Cùm enim sævissima illa Religionis tempestas, *Lutherus*, videret, Pontifice & Ecclesiæ Romanæ Senatu damnato, ejecto atque adeò delero, viam latissimam libidinibus suis patere, nullam omisit neque perturbandæ curiæ Romanæ, neque infectandi Pontificii Senatus occasionem. Vertit itaque oculos ad innumerabilem copiam hominum seditiosorum, & omnibus turpitudinis notis abundantem, qua dies noctesque stipabatur in exercenda consuetudine suarum cupiditatum. Computavit ingenia ipsa hominum tanquam hastam validissimam furoris sui, facillimè sibi accommodari posse, quam contorqueret in universæ Romanæ Ecclesiæ ruinam atque interemptionem, ut quæ cognoverat educata gravissimæ vitæ institutis, imbuta sæpe numero sanguine miserorum, ardentia incredibili desiderio prædæ, sibi verò mera familiaritate conciliata. Hæc novorum errorum venena sibi à diversis diaboli ministris propinata avidè celeriterq; susceperunt, suscepta & hausta intimis visceribus cœceperunt, concepta usq; firmata tanta nunc in hærent tenacitate, ut eximi nec auctoritate nec ratione posse videâtur. Hoc pacto sævissima

illa pestis latius opinione disseminata est. Ex Germania enim ad Aquilonem & Orientem profecta, Daniam, Norvegiam, Suetiam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam, absumsit, vastavit; tum ad occidentem & meridiem pari celeritate delata, & Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam Regna, brevi tempore populata, ad extremum Alpes transcendit, & in Italiam usque penetravit, multisque in locis etiam cum pulvisculo (quod ajunt) Christianam pietatem omnem evertit, fidem extinxit, charitatem vulneravit, imò tantis calamitatibus Christianam mactavit Rempub. ut si quamlibet potens & truculentus hostis eam grandicum exercitu pervasisset, vix illi majorem cladem afferre potuisset. Hoc igitur crimen, tantæ impietatis plenum, ut ipsis pietatis fundamentum radicemque tollat, tam pestilens ac perniciosum, ut nisi attentissimè quisque caverit, in periculum perdendæ salutis adducatur; hoc tam turbulentum, seditionis fœcundum, & ad regna collidenda ac perdenda commodissimum Satanæ malum, non exilio, non vinculis, non facultatum amissione, non omni persecutione, adeoque ipsa morte dignum censebimus? Cum duce quondam illo mitissimo Moyse quispiam è populo Deum in jurgio blasphemasset, ideoque in vincula coniectus esset, tantisper dum cognosceretur divinum de reo judicium, consultus Dominus justissima lege cum lapidibus obrui demandavit. An verò blasphemus non est hæreticus? Non igitur blasphemus *Calvinus*, qui Omnipotentia derogans Divinæ fieri posse negat, ut quod in cælo est Christi Corpus, in altari quoque simul ad verba efficacissima Christi existat? Non *Brentius* blasphemus, qui in diversum tempestate delatus, quod Divinitatis proprium est, ubique simul esse, naturæ Christi humanæ adscribit? Non

Non propter has aliasque neque paucas, neque le-
ues blasphemias summa Legum æquitare & iusta
earundem severitate mortis supplicium blasphe-
mis irrogatur hæreticis? Non eos in vincula duci,
nō ad mortem rapi, non summo supplicio mactari
decebat? Fuit, fuit illa quōdā in Ecclesia Catholica
virtus, ut Imperatores Christiani acrioribus suppli-
ciis hæreticū seditiosum quā acerbissimū hostē
coërcerent, ejusque sanguine non modò se non con-
taminarent, Sed etiā honestarent *Constantinus ille*
Magnus, cujus res gestæ atque virtutes iisdem, qui- *Vide Cic.*
bus Solis cursus, regionibus ac terminis continē- *Invectivas*
tur, de victis hostibus nominis Christiani, Lege *in Caturo.*
sancivit, auferre hæreticorum oratoria neque cœ-
tus ullos aut privatis in ædibus, aut publicis in lo-
cis celebrari permisit. *Arium* cum aliquot sociis in
exilium relegavit, eosque qui libros ejusdem oc-
cultassent gravissima pœna mulctavit. *Clodoveus*
Rex Francorum simulatque Sacramento Baptisma-
tis initiatus, & Rex consecratus fuit, *VVisigottos*, *A-*
riano veneno infectos, Gallia finibus expulit, &
ne vicinos quidem, nedum in regni sui visceribus,
hæreticos permisit. Nonne *Valentinianus* & *Theo-*
dosius Manichæos civitatibus exturbandos, ultimo-
que supplicio afficiendos decreverunt? Nonne
Hipponem, *D. Augustini* Episcopatu claram, ad u-
nitatem Catholicam timore Legum Imperialium
legimus esse conversam? Nonne *Maximus Christianus*
Imperator Priscillianum Hæresiarcham cum so-
ciis, Legum publicarum ense prostavit? Nonne
tempore *Innocentij Tertiij* simul centum octogin-
ta hæretici *Albigenses* sunt exusti? Aetas me de-
ficeret, si pergerem eorum, qui flagratiore divino-
rum amore afflati fuerunt, in hæreticos sævitiam
recensere.

Huc accedit, quòd (quia per ipsa adversariorum
jugula vis veritatis quandoque erumpit) etiam ipse

Vide cassas
R. D. Vlen-
bergij

Lutherus, Sectariorum omnium antesignanus & princeps, consulit ut Clancularii Concionatores, (ipse erroneus & nebulones appellat,) qui se in aliorum functiones ingerunt, & contra Magistratus ordinationem clam atque furtivè in angulis passim repunt, plane non ferantur, sed magistro Hanson, (sic vocat carnificem,) etiam si rectè doceant, committantur. Unde qui paululum iudicio & rerum usu valent, expendere secum possunt quàm longè Lutherani, qui Confusionem, (Confessionè dicere erat in animo) Augustanam profitentur, à Lutheri sui placitis recedant, cum inter Catholicos, contra Magistratus voluntatem, clam per domus discurrunt secretos, eosque prohibitos conventus agunt, & conciones furtivas instituunt, in quibus detestandum hæresion virus instar serpentum emittunt, atque hominibus suaviter instillant, eosque, qui se ad ipsos adjungunt, iuramenti vinculo & aliis retinaculis firmiter suis sectis astringunt. Unde nihil aliud quàm discordia inter cives, seditiones, perturbationes Rerump. atque sexcenta alia id genus incommoda exspectari possunt.

Cæterùm grave omnium iudicium portabunt in extremo die, ubi venient in conspectum tremendi Iudicis, non modò tenebriones isti, è cælo non delapsi, verum deiecti, qui clam in angulis cauponantur. imò latrocinantur; verum etiam receptatores atque auditores ipsorum, quod contra Dei voluntatem, contra omnia divina simul atque humana Iura, contra imperii Constitutiones, contra pacem religionis, contra iusurandum, quo Magistratui obstringuntur, ea negotia tractant, ex quibus omnes misérias, calamitates, ruinam, atque interitum Pacis publicæ, demum corporum atque animarum perditionem oriri constat. Quare sæpe mihi patria, quæ nobis vita multò erit charior,

rior, sæpe cuncta Germania, sæpe omnis Resp. e-
jusmodi verbis cum istis animarum sicariis expo-
stulare videtur: Quid causæ est, quod *Lutheri* ve-
stri doctrinam ipsi contemnitis? an non ejus scri-
pta eam apud vos auctoritatem obtinent, ut ad illa
cōscientias vestras in fidei causis tanquam ad nor-
mam quandam componatis? Cur igitur in hoc ne-
gotio tam proteruè contra ejus placita, contra fi-
dei vestræ professionem agitis? Qua fronte crimen
illud committere audetis, quod per carnificem
nefariorum scelerum vindicem hic quintus vester
evangelista puniendum pronunciat? quanquam
enim Magistratus Catholicus adeò clemens est, ut
nō statim vos de *Lutheri* consilio carnifici tradat;
tamen ad mortem vos omnes jussu Magistratus
jampridem duci oportebat, in vos conferri pe-
stem istam, quam in nos omnes semper estis
machinati, ne si vos in malam rem abire permit-
tat, libris vestris per domos civium sparsis pessi-
ma discordiæ semina in Rep. relinquatis. Si vos
comprehendi, si interfici jusserit, credo, erit ve-
rendū ei, ne hoc potius omnes boni serius, quàm
quisque crudelius factum esse dicat: nemo pro-
fectò Catholicorum erit tam perditus ac deplo-
ratus, qui id non jure, egregiè, atque adeo regiè
fieri fateatur. Quamdiu ergo fraudulentis in-
sidiis ac furtiuis concionibus ad fallendos Ca-
tholicos & suis sedibus exturbandos studebi-
tis? quem ad finem sese effrenata vestra jacta-
bit atque ostentabit audacia? Nihilne vos æter-
na præsidia religionis? nihil Consulū vigiliæ? ni-
hil sensus & constans consensus Catholicorum o-
mnium? nihil vestri præceptoris fulmina ac toni-
trua moverunt? Patère vestra plena sceleris & au-
daciæ conventicula non sentitis? constrictam o-
nium Catholicorum conscientia teneri conju-
rationem vestram non videtis? Neque nox tene-
bris

bris obscurare cœtus nefarios, neque privatæ domus parietibus continere vocē conjurationis vestræ possint, illustrantur, etumpunt, luce sunt clariora vestra occultissima scelerata consilia omnia. Hæc, ut dixi, Aud. patria mihi cum Apostolis istis Diaboli loqui videtur, qui quâdiu sub nostri Magistratus sceptro vivunt, ideam quandam libertatis sibi affingunt, & illam, ut rem plausibilem, populo venditant. Quæ non recens composita, sed vetus Hæreticorum cantilena, & à Donatistis multum usurpata, quos B. August. (quem unum ex omnibus antiquis auctoribus laudare se simulat Calvinus) his verbis fortiter posternit: Si inquit. *voluntas mala semper sui permittenda est libertati, quare Israelita, recusantes & murmurantes, tantis duris flagellis à malo prohibeantur, & ad terram promissionis compellebantur? Si voluntas mala semper permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus uti pessima voluntate, qua persequeretur Ecclesiam? sed prostratus est, ut excicaretur; excacatus est, ut mutaretur? mutatus est, ut mitteretur; missus est, ut qualia fecerat in errore, talia pro veritate pateretur.* Hæc ille. Verum in adversarii nostri suo isti dogmati vita & moribus respondent? nihil minus. Siquidem, ubicunque Lutherani rerum potiuntur, ibi nec Sacramentarios, nec Anabaptistas, nec alterius notæ Sectarios, imò ne Catholicos quidem tolerant. Notum est toti mundo, quomodo jam aliquod annis in Belgio Catholicos tractarint Calvinistæ. In Anglia verò quam crudeliter aliquando sævitum est? An non isti Sacramentarij manus suas in sanguine Catholicorum abundè satis laverunt? Quod magnates atque nobiles, quod docti, pii, adedque cælorum habitatione digni viri sub Elizabetha Regina imperio propter Catholicæ religionis professionem partim in perpetuum exilium nudi & inopes relegati sunt.

par-

partim in carceribus extincti vel necati, partim publicè strangulati, trucidati, imò horrendum in modum in frustra dissecti? An non ipse *Calvinus Servetum* (hæreticus hæreticum) in media *Genevensium* (Genevensium dixissem) urbe religionis nomine cremari iussit? An non idem *Calvinus*, & scelere nobilis *Beza*, libris in lucem contra *Castellionem* editis, palam scripserunt, hæreticos capitali supplicio tollendos esse? An non *Benedictus Aretius Valentinum Gentilem* ob hæresin jure cæsum contendit? Qui *Gentilis*, cum *Genevæ* in *Arianismo* renovando occupatus esset, factus est reus hæreseos apud tribunal hæretici magistratû, ubi iudicii laqueos frustra declinans, cû irretitus & implicatus teneretur, metuens *Calvini* severitatem, & ad memoriam revocans incendium illud formidolosum, quo *Servetus* paulò ante perierat, ut tempori serviret, errorem se suum agnoscere simulavit. Itaque à iudicibus cum ad pœnitentiam publicam esset damnatus, depositis vestibus, solo excepto indusio, nudis pedibus, detecto capite, facem manu gestans, præeunte præcone, totam urbem sic obivit, deinde à magistratu supplex veniam petiit, librum ipse suum in ignem abjecit, ac jurejurando promisit non abiturum se *Geneva*, nisi prius à Magistratu veniam impetraret. Sed præclarus iste *Apostolus Arianus*, postquam tam insigni palinodia & inconstantia renascentem *Arianismû* decoraverat, eundem etiam perjurio ornandum esse censuit.

Quare *Genevâ* clanculum se proripuit, & cum apud *Gallos*, *Helvetios*, *Polonos*, aliasque gentes *Arianismum* suum propagare conatus esset, & ad primum periurium alterum ac tertium addidisset, tandem apud *Bernam Helvetiorum* à *Zungliani* comprehensus, & capitis damnatus, meritas suæ remeritatis pœnas persolvit. Vbi est ergo illa
Re-

Religionis & conscientiarum libertas, quam toties isti, & suarum, & alienarum animarum interfectores, plenis buccis nobis occinuerunt? Imitantur profectò *Simonidem*, qui quoties mulas laudaret, equorum, qui eas procreassent, non asinarum injiciebat mentionem: Sic isti libertatem Evangelii, præclarum scilicet colorem, simplici populo proponunt; factionis verò & conspirationis, quæ libertatem Evangelicam inquinat, corrumpit, evertit, nullam penitus faciunt mentionem, cum maxima sit libertas Christiana fervire Legibus & obsecundare. Cum primùm incautas Christi oves illaqueant, & in suas nallas pertrahunt, lupinâ ferociam sub ovina pelle magno artificio tegunt, magnum pacis & concordie studium simulant, adeoque suaviter sese insinuant, ut è caelo delapsi esse videantur. Postquam verò illis ad res suas constituendas satis virium & roboris accrevit, continuò lupi, ovina pelle abjecta, naturam suam produnt, pietatis larvam exuunt, aliam faciem induunt, eruptione facta gladium Magistratui, legitimo per vim è manibus eripiunt, & hospites suos, ut levissimè dicam, profligant, imò ita se gerunt, ut dubium sit, sævitia, an calliditas illorum magis sit admiranda, Convertite oculos, Aud. attentiss. non humanitatis ac benevolentie plenissimos, sed illos acutissimos veritatis indagatores, ad clarissimas *Belgij* provincias: Videbitis eas hac impostura fœdè deceptas, & sub iugum à *Calvinianis* esse missas. Existimârunt incolæ futurum, ut ejectis Monachis, aliisque Ecclesiasticis, & obedientia veteris Ecclesie proculcata, Aureum seculum in illis regionibus succederet: Evangelii novi Ministros probos atque integerrimos viros, adeoque sanctos in terra futuros planè persuasum habeant. Verùm quantum aberrarunt homines nimis creduli? Lupus enim, qui

qui ovina pelle reclusus primùm irrepsit, postea dentes suos atque ungues, & insitam naturæ ferociam ita exeruit, ut de Ministris proverbium inter ipsos *Calvinistas* exortum sit, Lupos quidem (Ecclesiasticos) ejectos esse, verum urfos (Evangelicos concionatores) in eorum locum successisse. Quid in *Gallia* florentissimum quondam Regnum calamitatis inuenerint, quis est, qui siccis oculis commemorare queat? An terras illas videre non licuit Catholicorum cædibus redundantes? uxores in virorum, virgines in matrum sive constupratas & jugulatas? infantes ab uberibus matrum ad cædem tractos? prægnantes mulieres viuas incisas? Sacerdotes per summam crudelitatem interfectos, raptata cadavera, laniata, canibus obiecta, in flumen præcipitata? An non in ipsas etiam res inanitas crudelitatem suam exprospserunt? Testantur hoc templorum everforum parietinæ, ossa Principum eruta, S. S. Reliquiæ Martyrum è sepulchris effossæ. Hunc autem turbulentum ac seditiosum spiritum, (qui ungues habet ad lacerandum & discerpendum paratos cujusque oculi seditioñe ac latrocinia scintillant,) hunc, inquam, ex pectore præceptoris sui *Lutheri*, in cuius scriptis vehementer oculis micat, hauserunt. Is paulo post quàm publicè ab Ecclesia defecit, cruentam admodum Bullam, ut ipse vocat, & Reformationem contra Catholicos Episcopos, adeoque contra totum Ecclesiasticum Ordinem in lucem edidit, in qua classicum cecinit, quo excitæ agricolæ magno numero correptis armis confluerunt, ut Episcopatibus devastatis, ipsos Episcopos & Ecclesiasticos Ordines penitus opprimerent. Cæterum qui terminos ab ipso cõstitutos egressi, etiam Nobiles, Comites, adeoque Principes adoriri cœperunt, aliud deinde classicum cecinit, & totum mūdū ad rusticos instar rabidorum canum

trucidandos concitavit, ut re ipsa verum esse doceret, quod de suo Evangelio scripsit: *Evangelium quocumque venit tumultuetur, & ut Zuinglius mavult loqui, sicut sanguinem oportet.* Quam tartarianam esse vocem diceret Poëta, verum talis Evangelii (quod ex imo Tartaro profectum est) præcones non alia vox magis decebat.

Nihil autem mirum est, quod Anabaptistæ externa specie tantam hoc tempore modestiam, tantumque pacis studium pollicentur, cum non semel ante hac gladium infelici eventu contrectarint, & cornua vertiginosi istius Spiritus omnino sint contusa, & conatus penitus repressi. Quod si, viribus non nihil collectis, iterum perumpere liceat, judicium fieri possit ex iis, quæ hæcenus perpetrarunt, quid ab illis expectandum sit. Quanquam enim cruenta illorum sub *Muncero* incensore excitata seditio non eum eventum habuit, quem animis destinarent, & tanta passim strages edita est, ut quoddam penè sanguinis Diluvium *Germaniam* inundaret, dum intra unius anni spacium ultra centum millia hominum perierunt; annis tamen novem post *Monasterij* in *Vestphalia* semè quod mansit rursus pullulare cœpit; & circa idem tempus *Amstelrodami* in *Hollandia* seditiosus eorum spiritus ita cædè se rursus exeruit, ut jam nemo fidem illis amplius habere possit.

Videor, videor profectò mihi & hanc Urbem, lucem orbis terrarum, videre subitò uno incendio coccidentem, Aud. ornatiss. Cerno animo sepultam patriam, miseros atque insepultos acervos civium, bonorum virorum proscriptiones, fortunarum direptiones, Reip. metamorphosin incredibilem & inauditam; summa imis, ima summis conversa & immutata: pro Aristocratia, vilissimam Democratiam; pro Monarchia, tyrannicam Oligarchiam pessimorum irrepsisse. Versatur mihi ante oculos
fle-

Aetius gemitusque totius urbis, & furor hæretico-
 rum in nostra cæde bacchantium. Cùm verò mi-
 hi proposui regnantes, & in Ecclesiæ bonis se ja-
 ctantes eorum concionatores & ludimagistros,
 tum lamentationem matrum familias, tum fugam
 virginum, tum lanienam Christi Sacerdotum per-
 horresco. Fingite animis, Aud. (liberæ enim sunt
 cogitationes nostræ, & quæ volunt, sic intuentur,
 ut eacernimus, quæ videmus,) fingite igitur co-
 gitatione dignitatem istorum prædonum tum
 florentem amplissimo magistratu, tum omnibus
 populi Catholici muneribus exornatam: quan-
 tum, quæso, sanguinis Ecclesiastici in choro, civi-
 lis in foro, in curia redundaturum esse creditis?
 aut quantam vim libidinis atque impuditiæ per
 omnia cœnobia & civium cubicula dimanatu-
 ram? Ferentur amentes in omnia, nec ullæ ratio-
 nes pudoris, nec ulla studia humanitatis refræna-
 bunt præcipitem atque incitatum cursum vetu-
 stæ crudelitatis. Et quia vehementer hæc sunt
 misera atque miseranda; cur in eos, qui ea perfice-
 re conantur, nos seueros vehementesque non
 præbemus? Etenim quæro, si quis paterfamilias
 liberis suis à seruo interfectis, uxore oecisa, incen-
 sa domo, supplicium de seruo quam acerbissimum
 sumserit, utrum is clemens ac misericors, an inhu-
 manus & crudelissimus videatur? Mihi verò im-
 portunus ac ferreus, qui non dolorem cruciatu
 lenierit. Sic nos in acerbiss, istos hostes ac dupli-
 ces latrones, qui nos vita & æterna salute priva-
 re volunt, qui id agunt, ut sæcem hæreticorum in
 vestigiis huius urbis atque in cinere deflagratæ Reip.
 collocent, si vehementissimi fuerimus, misericor-
 des habebimur; sin remissiores esse voluerimus,
 summæ nobis crudelitatis in patriæ civiumque per-
 nicie fama subeunda est. Nihil, Aud nihil erit im-
 pedimento, quin audaciam crudeliss. hominum

crudelissimo genere suppliciorum expiemus, & ultionem ex illorum cruciatibus ac pœnis capiat Resp. quorum erat conflagratura manibus, nisi ejus custodes ac vindices nefariis votis obstiterent. Olim etiam apud Ethnicos summis quibusque Imperatoribus non parcebatur, quin expiarent supplicio suo leges violatæ religionis; sed quoque consulari familia, summoque ingenio viri propter exiguam notam libidinosa suspitionis removebantur è Senatu, multosque dies in vinculis detinebantur. Nos verò homines vilissimos & seditiosissimos, non modò leges patriæ atque auctoritatem Magistratus crudeliter labefactantes, verum etiam universam Ecclesiam turbantes, & ad perniciem ferro flammaque devocantes, impune sustinebimus? Quid dico sustinebimus? modò non sint quidam, qui illis patrocinentur, qui utinam frigidi vel calidi essent, sed quia repidi sunt, haud dubiè delebuntur nomina illorum ex libro viventium. Adversus hæreticos armantur, & cum hæreticis interea convivio celebrantur, imò verò, quibus omnium dignitatum portas divina & humana jura claudunt, ij maximis, iisdemque splendidissimis & muneribus & honoribus funguntur. Hæc videntur, intelliguntur, & silentio tolerantur, & tamen ad instaurandam Romanæ Ecclesiæ doctrinam putamus nos omnem diligentiam conferre? Nec dum cernimus quibus cupiditatibus portenta illa flagrent? quàm effrænata temeritate gestiât (quàm mirabiliter spe novandarum rerum inflammentur? Quòd si votis sceleratorum hominum successus aspirent, quanta strage Catholicorum creditis, Aud. aut quanto diluvio facultatum Ecclesiasticarum ruituram fore detestabilem hominum atq; execrandam impietatem? Deo immortalis, quæ clades ab illa feritate hominum, quæ genera flagitiorum emanabunt, si qua-

& quasi rapidissimas belluas in hanc Rempubli-
 cam irruere concedetur? Horret animus ea cogi-
 tatione complecti, quæ miseri perferre cogemur,
 si sopor oculos nostros detinuerit. Non enim con-
 suevit animus eorum perpetuis flagitiis excitatus,
 prima destitutione fortunæ refrigerescere ac con-
 sternari, sed vix sepulta memoria unius seditionis,
 mox aliam ineunt, immaniores sæniunt, & quia
 Rempubl. servitio non possunt obtinere, strangu-
 landam penitus ac tollendam cogitant, scelera-
 ti in omnem Ecclesiam, quam toties insidiis appe-
 tiverunt; sceleratissimi verò in Deum, cujus ex-
 tant in illos summa & commemoranda monu-
 menta beneficiorum. Reminiscimini quæso
 Aud. reminiscimini ferrum illud scelestum, atque
 illas nefarias faces, quas sanctissimæ congregatio-
 ni Ecclesiasticæ, atque isti pulcherrimæ patriæ
 minitantur, non ad oppugnandam Ecclesiam, ne-
 que ad eam concremandam illis esse datas, sed po-
 tius ad salutem animarum, dignitatem Sedis Apo-
 stolicæ, libertatisque Christianæ defensionem.
 Per Deum immortalem oro vos, si Ecclesia ad il-
 los his vocibus uteretur, quid essent illi quæso
 responsuri? Ego vos parvulos cum inprimis or-
 natissimo genere gentis Christianæ nasci voluis-
 sem, deinde summis dotibus exornassem cor-
 poris & animi, tum duabus rebus instruendos
 putavi, armis & consiliis, quibus esset parata
 vobis facultas rum amplificandi imperii mei,
 tum defendendæ Christianæ libertatis: quid e-
 am vim & armorum, & scientiæ, atque eloquen-
 tiæ in viscera mea contorquetis? aut quid conver-
 titis in exitium civium meorum, institutam dili-
 gentia mea, eruditam dimicandi differendique fa-
 cultatem? Cur studio flagratis illius corporis e-
 vertendi, quod Christ⁹ instauravit sua morte suo-
 q; Sanguine, quod nec Iudæorum astutissimi doli,

nec Rom. eximiae vires, nec Graecorum erudita & præclara ingenia labefactare obscurareque poterunt? Sed ad illos redeo, quos non prius amissuros perversitatem istam animi puto, quam vitam amiserint: Utinam Dei immortalis munere, Audientes atq; animos istorum introspeceremus videreris profectò mentes anhelantes tristissimum genus minarum, mentes debachantes inaudita feritate, furentes incredibili vesania, sitientes cruoris Ecclesiastici, prædæ avidissimas, nobis omnibus ferro flammaque minitantes. Videreris facinorû faces abominandas, crudeles igniculos, quibus eorum animus iam pridem exarsit. Quæ si nobis, ut sunt, indigna atque intolerabilia videntur, non iniquum erit eos teterrimis suppliciis multare, & tanquam cladem omnium crudelissimam è visceribus Reip. Christianæ propulsare. Si enim id, quod præclare à sapientibus dicitur, vultu sæpe læditur pietas, quod supplicium satis acre reperietur in eos, qui Ecclesiæ conjurationis laqueos tendunt, & catenas scelerum conflant? Illis, illis interfectis, intelligo omnem Reip. pestem non solum paulisper reprimi, sed in perpetuum etiam comprimi, posse. Si ex tanto latrocinio, ex tanta psychotyrannorum turba; *Clancularij Concionatores*, nostri sanguinis exsorbendi cupidi tollentur, omni cura & metu erimus relevati, nullum periculum residebit, aut inclusum erit in venis atque in visceribus Reip. Spero probari vobis ornatiss. Aud. quæ hactenus à me sunt dicta, vehementer sum ipso vestro vultu, ista vestra attentione recreatus. *Accipite*, obsecro, accipite a lacri ac prompto ore ac vultu, quæ restant, & ea penitus mentibus vestris animisq; mandare. Quia egregii isti seditionum folles aut cinerem *Vrbis* & sanguinem civium mēte scelerata ac nefaria cupiunt, aut superintendentes se sperant futuros la-

tebras

tebras commodissimas & tutissimas diligunt congregandæ conjurationis suæ, domos (si domus hæ habendæ sunt poti⁹ quàm officinæ nequitia, & diverforia flagitiorum omnium, domos, inquã, ab omni suspitione prodendi facinoris non mediocriter abhorrentes, quæ voces conjurationis tutissimè continere possint. Ibi fœdis calumniis & enormibus mendaciis causam nostram ad populum adedò aggravât, ut miser popellus à nobis tanquam omnium hominum perditissimis, vehementer abhorreat. Ibi impudentur effundunt, Christum ante ipsorum tempora fuisse ignoratum, Evangelium in pulvere vel sub scamno delituisse, & (quod ex eo consequens est) Christianos qua via ad cœlum eundum, & salus consequenda fuerit, penitus ignorasse: in veteri Christianismo tam abominandam & turpem idololatriam vigere ut fœdior nec inter Iudæos, nec inter gentiles unquam visa sit. Ibi magnis & tragicis clamoribus jactant magnificè, se tandem primò rectè ac perfectè Libros sacros intellexisse, & eorum abditissimas sententias pervidisse. Ibi, dum hoc unum student, ut Ecclesiam perturbent, & illius unitatem scindant, Pontificè, caput Ecclesiæ sub Christo capite, quibus modis possunt, etiam confictis criminationibus, oppugnant. Ibi graviter admodum & planè tragicè deplorant casum & ruinam Ecclesiæ, quam secundo & tertio Seculo vitium facere incipientem, quarto & quinto inclinatam & nutantem, sexto demum corruisse, misereque collapsam esse mentiuntur impudentissime. Ibi nihil sæpius repetunt, inculcant, quam nos defunctorum manes, ossa, cineres, picturas item, ligna & lapides adorare, ut quoniã mentes auditorum pernitiola hæc persuasio penetravit, injusta quidem, sed tamen gravi diuturna que apud eos laboremus invidia. Ibi, ut convitiatorum sordes ad vos obruendos cõvehant, omnes

simul magno consensu equos jungunt, atque ita inter Pilatum & Herodem contra Christum quoddam amentiae vinculum neunt. Ibi quisquis abdita SS Religionis mysteria quam maxime ridere, horrendis blasphemis conspurcare, eos, qui in Magistratu sunt, convitiis fœde lacerare, valido ore discerpere, & vulgo conculcandos objicere, maledictorum pannos hinc inde consuere, intolerandam denique petulantiam & proterviam in omnes Catholicos exercere novit, is in primis Evangelii causam strenuè egisse, & palmam præ reliquis consecutus esse videtur. Ibi videre est saepe numerò miseros istos è cœlo præcipitatos. Dd. totam intimi pectoris virulentiam atque amaritudinem, quasi furis essent agitari, aut iracundiam acti, vociferando, tumultuando, fœdis & scurrilibus dictis ludendo, plenis faucibus & linguis ad omnem maledicentiam laxatis in Catholicos effundere: quorum quando aliquis impegit, bone Deus, qua lætitia eum perfruntur? quibus gaudiis exultant? quanta cum voluptate bacchantur? quomodo satagunt, ut in omnib' innotescat? quibus coloribus, rem pingunt? quo verborum apparatu exaggerant, quo maledictorū adjecto pondere aggravant? nō secus ac si aliorū hominum infirmitates ipsorum essent delicia. Et si Lutherus, Pomeranus, Bucerus, Pellicanus, Munsterus, Mennius, Musculus, Mycronius, Oecolampadius, Martyr Ochinus, aliique illustres Prophetæ atque Evangelistæ ex Monasteriis, tanquam ex equo Trojano prodierint, cælestis militiæ desertorem & transfugam imitari, ibi tamen, ut Ecclesiam totam (siferi possit) à fundamentis evertant, Monachos in universum omnes execrantur: ibi faces ad incendendam seditionem arripiunt, flammam desideriorum accendunt, furori dandās habenas prædicant, & buccinas ad
 ayex.

avertendos animos populariū à Magistratib9 per-
peruo in ore habent dum injustam oppressionem
gubernatorum inculant, & se misereri populi
simulant: ibi istorum omnia portentosa mendicia
eò spectant, vt omnes, etiam tranquillitati stu-
dentes, Marti non Musis sacrificent, & tranquilla
pacataque ingenia furiosis suis concionibus à sane-
mente tanquam à statione detrahant. Xenocra-
tem ferunt sua oratione dissolutorum auditorum
corda ita perstrinxisse ut illo audito, multi ex dis-
solutis temperantes evaserint. Verum ex horum
turbulentorum concionibus nemo melior, nemo
modestior redit, sed ex modestis & pacatis multi
furore illo perciti, ad omne patrandum scelus fe-
roces audacesque efficiuntur. Quicumque cin-
gulum perditæ eorum sectæ semel acceperunt,
eos continuò inanimatos videmus, quasi in feras
bestias deformati reddantur. Et si Deus illis vim
illam admirabilem verbi, qua Petrus occidit A-
naniam & Saphyram, & Paul9 excæcavit Elimam,
dedisset, bone Christe, quantas strages ederent in
Germania, totam, totâ Germaniam, si possent ho-
mines furiosi uno ictu iugularent.

Quare Patria nostra cum illis optimo jure sic a-
git, & quodammodo tacita loquitur: Nullum jam
tot annis facinus extitit, nisi per vos; nullum fla-
gitium, sine vobis. Vobis solis multorum civium
neces, vobis vexatio direptioque Catholicorum
impunita fuit ac libera; vos nō solum ad negligen-
das Ecclesiæ leges, verum etiam ad devincendas
perfringendasque valuistis. Quamobrem desi-
nite amplius hęc expectare dignitates: cum impor-
tuna sceleratorum manu potius abite in alias ter-
ras, & vitam istam multis suppliciis justis debitis-
que ereptam fugæ solitudinique, si hanc vocem
expectatis, mandate: Purgate Rempubl. ejicite,
vos, & educate vobiscū omnes vestros undecunq;

collectos naufragos, scelera nefaria anhelantes, pestem patriæ nefariam molientes, & Christianæ Reip. ferrum flammamque minitantes. Potestne Catholicis huius vitæ lux, aut hujus cæli spiritus esse jucundus, cum iisdem mœnibus, atque ad eod. patietibus magno in periculo vobiscum contine-
rife vident? Magno profectò Catholicos meru-
liberabitis, dummodo inter vos & illos murus in-
ter sit.

Hæc si cum illis, ut dixi, patria loquatur, nonne debeat imperare? & quamdiu non impetraverit, vivemus (eheu) in medio nationis pravæ, in medio petulantium concionatorum, qui undique nos interdum tanquam leones & venenati dracones, interdum quasi vulpes suis pestiferis afflatibus invadere atque evertere festinant. Quam est in tanta serpentum multitudine nobis commixta, caute ambulandum, vigilantè attendèdum? Vere enim serpentes sunt, & magni illius serpentis, qui primum nostrum parentem decepit, filii. Super ventrem repunt; quin quicquid faciunt, propter ventrem faciunt, & vanam gloriam pectoris sui: terram manducant, quia neminem lucrantur nisi rebus terrenis & scelerum vinculis alligatos. Sic autem cogitate, Aud. per id, quod in hac Rep. istis clancularis latronibus exercitium publicum prohibitum est, obductum quidem & alligatum esse hæresis vulnus, ita ut sanies non defluat, nec apertam nauseam moveat, minime autem sanatum esse, nec è medio nostri sublatum hoc pestilens malum, sed quasi obscurius in angulo collocatum, nec denique esse plane silentium huic procaci meretrici impositum, sed id tantum effectum, ut blandius & cautius loquatur, hoc est ut facilius ac mollius decipiat, ad quorum aures clanculum irrepere potest. Quemadmodum enim, postquam olim VVandali, Hunni, & Gothi
Ro-

Romam triumphantem, caput Orbis, delevissent, non difficile iis erat per alia minora Imperii membragrasari, eaque solo adæquare: ita nostri Scetarii Colonia Agrippina totius Germaniæ quasi Roma, per occultum hæreseos venenum, velut capta & subacta, arbitrantur se facili negotio universa Germania posse potiri, eoq; hæreseos virus diffundere.

At habemus Dei immortalis munere Magistratum (quem nobilitatis amplitudinisq; gratia nomino) in religionem antiquam egregiè animatum à novitate tota voluntate abhorrentem ad angulares Concionatores custodiendum diligentissimum, ad suspicandū sagacissimum, & ad vindicandum fortissimum. Huic domestici latrocinii extinctori, cædis quotidianæ represso, & templorum atque tectorum defensori, huic, inquam, debemus, quod non universa Germania à Catholica religione uno casu & ruina defecerit. Huic acceptum referimus, quòd non tota fere Europa pestilentissimi Calviniani dogmatis barathro penitus sit absorpta. Hic ut hydram immanem tog caputibus renascentem excindat, summa ope contendit: optat, quam à suis majoribus fidem accepit, sartam & tectam conservari: optat, quorum adhuc integra mens est, eos incorruptos ad supremum tempus permanere: optat, si qui animo dubio fluctuent in utramque partem, eos, oratione, consilio, auctoritate confirmari: optat omnes Reip. partes agras & labantes sanari. Memor veteris instituti Romanorum, quo contra seditio-num & discordiarum pericula, Senatus, Dictatori aut Consulibus summam tribuens potestatem, dicere solebat, ut providerent, ne quid detrimenti Resp. pateretur, huius, inquam, instituti memor, Conciones Calvinisticas, ad perturbandam hanc Remp. per Comitem Novæ Aquilæ temere &

impio consilio in suburbio nostro institutas, impedivit, tormentis bellicis displosis disjecit, disperfit hostiumque atroces minas excelso infractoque animo contempfit; contra insidias nocturnas, distributas catenarum vigilias, callide opposuit; contra vim manifestam, florem ac robur civium objecit salutaribus institutis ita est munita & sepra civitas ut ad eam istæ belluæ aspirare non possint: imo huius beneficio vivunt multis & firmis præsiidiis circumclusæ, debilitatæ, & oppressæ, ut commovere se contra Remp. non possint. Proponite vobis Aud. ante oculos ac meditatione crebra revoluite tempora illa nefaria, quibus salus omnium Catholicorum, quibus ipsa Resp. peritura fuerat, quando aspexissemus bestias istas emissas carceribus: per urbem omnem furialiter exultantes, ipsosque in primis miserandi facinoris duces, & principes Concionatores, & Ludimagistros, nunc hos ad cædem nostram, nunc illos ad rapinam atque inflammationem templorum devocantes: Virgines Deo consecratæ ex cœnobiis, conjuges è complexibus maritorum ad libidinem victorum raptæ fuissent, liberi ad stupra de gremiis parentum extorti, pretiosa suppellex asportata, tecta conflagrassent ignibus, corpora cæsa passim jacuissent, omnia denique gemitu fletuque redundassent. Hæc fuisset imago miserrimæ Urbis, nisi multorum huius Reip. Sacerdotum & Pastorum oculi & aures eos animicidas non sentientes & ignorantes speculati fuissent, atque custodivissent. Quoties vitam omnium civium, atque hanc florentiss. pulcherrimamque Urbem, Dei ter Opt. Max. summo erga nos amore, laboribus, consiliis, periculis utriusque Magistratus ex flamma atque ferro, & penè ex faucibus exitii ereptam, conservatam, ac restitutam vidimus? Quoties totius Urbis templis, relictis
 omni-

omnibus subjecti prope jam ignes circumdatique sunt restincti? Quoties gladii in Remp. districti sunt retusi, mucronesque hæreticorum à jugulis nostris reiecti? Quoties Magistratus sine ullo civili sanguine iis ferrum de manibus extorsit? Quoties eos, qui sanari potuerunt, quacunque ratione sanavit; eos, qui resecandi fuerunt, non permisit ad perniciem Reip. manere; sed ex occultis insidiis in apertum, latrocinium coniecit?

Qui in hac urbe se contra religionem commoverunt, senserunt semper in ea esse egregios Magistratus, esse fortem Senatam, esse arma, esse carcerem, quem vindicem manifestorum scelerum majores nostri esse voluerunt. Et certè nisi quam fortissimè istis hominibus audacissimis Magistratus restitisset, nisi in hac causa quid sit suus animus semper ostendisset, eò prorupisset hominum istorum cupiditas ac scelus & audacia, ut non modò elam, verum etiam in ipso choro, foro, curia, ante Altaria & Divorum Reliquias, quas penè innumeras hæc civitas complectitur, cædes factæ fuissent. Etenim quid aliud eorum concionibus tentatur, nisi ut id fieri liceat? Exhausti angulares isti Concionatores sæpe ex hac Vrbe jacuerunt prostrati, & se percussos atque abjectos esse senserunt, & retorserunt oculos profectò sæpe ad hanc Remp. quam ex suis faucibus ereptam esse lugent; quæ quidem recreata mihi & revelata videtur, quòd istam sentinam, tam pessimum hominū genus, toties tanquam noxios humores evomuerit, forasque projecerit. Idè enim is est huius civitatis, status, ut rectè de illa dici possit: *sicut liliuris inter spinas, sic amica mea inter filias*: Nam cum spinis & veptibus hæreticorum undique circumsepta, nihil tamen earum aculeis offenditur, nec de statu suo dimovetur, ac quo semel est imbuta

recess

recens odore sancti Evangelii (quod à D. Materno accepit) illum summæ cum pietatis & constantiæ laude semper conservavit.

Sed ut extremum habeat aliquid oratio mea, Aud. ornatiss. & ut ego ante dicendi finem faciam, quam vos me tam attentè audiendi, unum à vobis, studiosi Adol. celebris hæc petit Academia, tota orat atq; obsecrat Germania, ipse Christus ex illa in qua pepēdit, Cruce exposcit, ut vos, quid vobis quid nobilitate huius Reip. dignum, quid majorum vestrorum hominum sanctissimorum exempla postulent diligenter cum animis vestris consideretis, & existimetis eam unam sequendam esse Religionem, quæ Christo, Doctore omnium gentium; & Apostolis ejus ministris per omnes Ecclesiæ principes; ad nos pervenit. Quæ per tot annorum centurias tam multis ab gentibus observata, tot à regibus suscepta atque defensa, tam mirabilium SS. & litteris & sanguine illustrata, tot miraculis roborata, & toties tam graviter oppugnata, & semper tamen invicta permanens, crevit, floruit, cuncta occupavit. Quæ etiam nostro tempore præter Italiam, & Hispaniam totam præter Galliam, Germaniam, Angliam, Poloniam, Boëmiam, Vngariam, Græciam, Syriam, Æthiopiæ, Ægyptum, in quibus multi inveniuntur Catholici, in ipso novo Orbe habet Ecclesias sine admittitione hæreticorum, in omnibus quatuor partibus mundi, ad orientem in Indiis, ad occidentem in America, ad septentrionem in Japonia ad Meridiem in Brasilia, & exteriori parte Africæ.

Per pietatem igitur vestram vos obtestor, Aud. ornatiss. per amorem huius pulcherrimæ atq; invictissimæ urbis, per omnia, quæ vobis jucundissima sunt in vita, caveamus Concionatores hæreticos tanquam veneficos, ne eos exitium animarum nostrarum sitientes, aditu, congressione, sermone dignos

dignos judicemus, quin eorum concursum dirum nobis, terrum, atq; ominosum putemus, neq; nos juxta serpentem mortiferum securè dormire posse credamus. Ira pieras, quæ illorum procellis penitus obruta esse videtur, speciosior & constantior ex illis fluctibus in clariss. nostra Rep. emergent & coalescent mutua concordia mentes omnium, nullus armorū strepitus, nullæ cædes, nullum improborum facinus audietur, ipsa deniq; mœnia & recta è tot calamitatibus emersa quodammodò lætabuntur, gestient, ac triumphabunt. DIXI.

LXXVIII. DE TRIBVS MAGIS.

Nisi existimarem, A. H. persuasum vobis jam esse, me non timere, aut mea sponte hunc ornatissimum ad dicendum locum occupasse; sed illorum imperio, quorum auctoritati refragari non debeo; nulla mihi prosequendi muneris capti esset fiducia: præsertim cum non ignorè & quanti doctissimum hunc cœtum vestrum æstimare debeam, & quod tanta sit rerum, de quibus mihi ut dicerem mandatum est, difficultas, ut ingenia hominum eruditorum miris semper modis torserit, exercuerit, fatigarit. Est enim mihi differendum de præclarissimo illo trium Magorum facinore, quod ex Oriente venerunt adoratum Redemptorem humani generis Christum Dominum, qui vix tum natus, ac etiamnum præsepis angustiis inclusus in extremos Orientis Orbis fines oculos porrexit, & gentes terretimis impietatis tenebris immerfas noviluminis splendore ad se querendum & cognoscendum invitavit, ac pertraxit. Quæ res postquam non tam hominem, quàm Angelum; non meam infantiam, sed divinam quandam requirat eloquentiam, cum ardentibus votis ante omnia mihi adeundum esse video, qui os mutorum aperit, & linguas infantium fecundo suo